B. N. C
FIRENZE
1015
20

1015.20

[illegible]
SCHIRZ
[illegible]

Q. D. B. V!

RITUM SPARGENDI FLORES

PUBLICE EDISSERET

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE SCHURZFLEISCHIO,

P. P.

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. XXV. APRIL.

HOR. MAT.

JO. THEODORUS Leubſcher /

AUCTOR-RESPONDENS

BREGA-SILESIUS.

WITTENBERGÆ,

LITERIS MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO cIɔ Iɔc XCI.

XXVIII

SCHURZ

§. 1.

RItus ſpargendi flores perantiqvus eſt, & differendi occaſionem mihi præbet, daturo antiqvitatis ſpecimen, qvod cum in gaudio & gratulationibus, tum in luctu uſum qvendam inſignem habet.

§. 2. Nec enim hortis tantum & viridariis gratiam conciliant, ſed etiam in communi vita ad varia hominum opera adhibentur.

§. 3. De qvorum origine & viribus illi tradant, qvi naturam & herbas ſcrutantur; ego ritum duntaxat, & mores ac inſtituta hominum, flores ad vitæ officia accommodantium perqviro, qvi rebus proſperis adverſisq; flores benevolentiæ, & prolixi animi ſigna eſſe voluerunt.

§. 4. Illud vero ad veterum ſuperſtitionem pertinet, qvod Deam, qvæ floribus præeſſet, commenti ſunt, adeo ut hæc flores integros florentesqve præſtare crederetur. Hinc Flora-

lia, ludi apud Romanos celebres, qvi in IV. Calendas Majas incidebant. *Plinius H. N. Lib. XVIII. c. 29. Ante hunc Varro L. 1. c. 1. de re ruſtica.*

§. 5. Atenimvero hi ludi impuri erant & fœdi, eamqve ob cauſam â Patribus Chriſtianis Arnobio & Lactantio improbati; *ab illo qvidem L. IV. & L. VII. adverſus gentes, ab hoc Lib. I. Div. Inſtit. c. 20.*

§. 6. Horum inter profanos Scriptores qvoqve meminit Sveton. *in Domitiano c. IV.* Auctor eſt Valerius Maximus, Populum Romanum, præſente & inſpectante ludos Florales Cæſare, ab inverecundo mimarum, qvæ ipſis Floralibus ineptiebant, conſpectu abſtinuiſſe. *L. II. c. 10.*

§. 7. De nomine florum non laboro, ſed ritum, qvi antiqvitatis intereſt, exponendum ſumo, & initium facio ab eo capite, qvod gaudii publici ſignificatione continetur. Moris enim fuit, hoc ſigno celebrare diem adventus Principum, & in urbem intrantibus ſolenniter gratulari. Haud dubito, qvin ut alia, ſic hujus moris

ini-

initia Romani Græcis accepta ferant, qvando Victores Olympici hoc gratulationis genere culti memprantur. Hinc ritus migravit latius, & ab Olympionicis ad belli Duces hoſtiumqve victores, ab his ad Reges & Imperatores Auguſtos transferri cæpit. *Qvorſum legi poſſunt Scholiaſtæ Pindari & Euripidis, Pauſanias in Meſſeniacis, Livius xxxiii.33.* Agit hic de Q. Flaminio Procoſ. qvi cum Philippo Rege armis certavit, eumqve caſtris exuit & ſuperavit. *Curſu prope omnes tendere ad Imperatorem Romanum* (ſummo enim belli magiſtratu fungebatur) *ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniſcosqve jacientium haud procul periculo fuerit.* Horum non meminit auguſtus ſcriptor, ſed qvin illi ſimul tunc jacti fuerint, Græci dubitare vetant, qvoniam a Græcis ritum hunc mutuati ſunt Romani, & in Græcia Græcorum more peregerunt. Speciatim hi verbo ἀνθοβολεῖν ritum hunc declarant. De coronis, earumqve lemniſcis vid. *Plinius H. N. lib. xxi. c. 3. Tranq. in Nerone cap. xxv. Julius Capitolinus in Vero cap. V.*

§. 8. Eadem gratulatione excepti ſunt Imperatores Auguſti, floribusqve ſparſis decorati, inter fauſtas populi acclamationes, qvibus venientes rerum dominos concelebrarunt. Herodianus de Commodo ſcribens ἀνθέων βολὰς extulit, qvas *Florum ſparſiones* ad verbum reddidit Politianus. Hiſt. L.I. 7. Id vero vel primis Imperii auſpiciis, vel re feliciter geſta; ibi boni ominis, hic fortunati exitus cauſa fieri conſvevit. Prioris exemplum præbuit Commodus, qvem, mortuo patre Marco, ex Pannonia redeuntem, Senatus Populusqve Romanus eodem modo cohoneſtandum putabat, fauſtisqve ominibus proſeqvebatur. Herodianus *d. l.* Similem in modum populus Alexandrinus accepit ingredientem Antoninum Caracallam, adventumqve ejus teſtandi gaudii cauſa floribus ornavit. Sed eventus populi voto non reſpondit, cum Imperator licentiæ urbis infenſior, iram tegeret, atqve ad cædem populi faciendam ſpectaret, arreptaqve occaſione, ſecuram & inermem urbis juventutem contrucidaret, *apud eundem IV. 8. 9.*

Idem

§. 9. Idem ille honor Elagabalo exhibitus, & conſvetudine freqventius repetita corroboratus eſt *eodem auctore V. 6.* Neqve aliter cum Gordiano III., cum Cæſar fieret, actum eſt, in qvem populus magna cum lætitiæ ſignificatione frondes jecit, & ſuam de eo expectationem hoc indicio patefecit. *VII. 10.* Ubi *φυλλοβολούμενον* nominat Gordianum, non *ἀνθοβολούμενον*, qvæ differebant qvidem, ſed uſu veterum plerumqve conjungebantur, & folia ac frondes non minus, qvam flores gratulationi publicæ ſerviebant, commodeqve impendebantur. Tanta erat qvondam hujus pompæ celebritas, ut urbs, qvam ingreſſurus erat Imperator, floribus conveſtita, qvaſiqve redimita, coronæ ſpeciem habere videretur. Dio Casſius ex vulgari interpretatione tradit, *urbem floribus & lauro fuiſſe coronatam*, ubi coronas ex floribus factas, tota paſſim urbe ſparſas, deſignat. Hoc enim indicant verba, *ἡ πόλις πᾶσα ἄνθεσι καὶ δάφναις ἐστεφάνωτο. Libro LXXIV. in Xiphilini excerptis.* Nec Maximo illud honoris officium defuit, poſtqvam Impe-

rator

rator Ro. declaratus eſt; qvem legati urbium, frondibus floribuſqve in eum conjectis, ſummo honore affecerunt. Herodianus qvidem ſolius frondium jactus meminit, dum hanc in rem ſcribit, ἐφυλλοβολοῦντο τὸν Μάξιμον. *Hiſt.* VII. 7. Sed nemo ignorat, eodem ſolennis gaudii tempore & flores, & folia frondesqve ſimul jaci conſveviſſe. Hoc Græci ſcriptoris, ſparſionem frondium cum florum ſparſione componentis, verba confirmant. Οἱ δὲ ἀνωτέρω ἔβαλλον τοῖς ἄνθεσι, καὶ φύλλοις. qvod ex diſciplina & inſtituto Olympicorum ſolennium promanavit, & deinde ad Romanorum mores eſt traductum. Idem ergo hic φυλλοβολούμενος, qvi ἀνθοβολούμενος Maximus deſcribitur ac denotatur. Græcum loqvendi modum, & diu ante ab Euripide in Hecuba traditum, expresſit *Tacitus A.* XIV. *61. 1.* De Lævino COS. Florus memorat, eum devicto Macedonum Rege Philippo, inter publica lætitiæ ligna & fauſtas acclamationes, floribus fuiſſe conſperſum. *Qvid florum*, inqvit, *in Conſulem profuderunt? lib. II. c. 7.* Plutarchus affirmat, Pompejum cum Neapoli

poli Romam iret, deductum eſſe & floribus exornatum; qvod inſigne gratulationis exemplum, & amplificatæ dignitatis teſtimonium fuit, qvando multi ſtudio nominis ejus incenſi, eum è morbo recreatum colebant, & euntem pleni gaudio proſeqvebantur. πολλοὶ παρέπεμπον ἀνθοβολούμενον. Hujus argumenti ſunt, qvæ idem habet *in vita Alcibiadis, & vit. Alexandri M. Conf. Caſaubonus ad Pers. p. 86.*

§. 10. Illud qvoqve in annales relatum eſt, ſacerdotes, qvibus Saliorum nomen erat, coronas & flores in pulvinar Martis jeciſſe, *qvod tradit Capitolinus in Marco Philoſopho cap. IV.* Qvod alii Numinum impiorum cultores imitati, pulvinaria eorum floribus exornarunt. Cujus rei ritusqve meminit antiqvisſimus pater Juſtinus Martyr, qvi nexus florum & coronas improbat, qvatenus venerationi dæmonum ſerviebant, *in Apologia* II. Qvæ gentium vanitas vel in eo cernitur, qvod perſvaſæ eſſent, Deos deasqve non iisdem floribus delectari. Narciſſum ceteris floribus prætulit

Sophocles,maximisqve diis aſſignavit: Sappho Muſas roſa ornavit, alii Soſpitæ Junoni lilium, alii Dianæ myrtum in deliciis eſſe voluerunt, qvorum ſuperſtitionem recenſuit ac refutavit Clemens Alexandrinus in *Pædagogo lib. II. c. 8.* De Tertulliano nihil addo, neqve enim id ago, ut de titulo & argumento libri *de corona militis* inſcripti nunc diſqviram. Legatur interim Beatus Rhenanus in annotationibus ibidem p. 36. editionis Commelianæ.

§. 11. Diverſa, & qvod credo, digna qvoqve memoratu eſt ſparſio aqvæ & roris, qvæ in expiationibus uſitata, & ramo olivæ, ac inprimis lauri peracta fuit. Cujus meminit Seneca in *Medea v. 804. ante eum Virgil. Æn. IV. 512. Æn.* VI. 230. *& ante hunc Theocritus in Heracliſco,* qvi ritus Græcis debet originem, & Græca voce expreſſus eſt in *Ceiri* V. 376. Thallus proprie eſt olivæ ramus, qvod teſtatur exemplum Chorinæi, luſtrationis ſacrum facientis. Congruit *Heſychius h. v.* Venit in mentem, qvod Athenæus tradit, capras arce & ſacrificio Minervæ prohibitas, qvod oleæ ramos depaſcerent, *Dei-*

pnos.

pnos. L. XIII. Nec tamen me fugit, θαλλὸν etiam de qvavis fronde dici, neqve id diſſimulat Heſychius. Addo etiam, qvod veteres lauri potius, qvam olivæ ramo luſtrarint, ut eſt apud *Plinium Lib. XV. c. 30. H. N. Heliodorum Lib. VI.* Ut de induſtria & læti ominis cauſa Chorinæus, in hoc luſtralis aſperſionis ſacro, oleam pro lauro ſubſtituiſſe videatur. Cujus rei fontes ſunt in hiſtoria auguſta Romanorum, ubi laurus ad ludos triumphales relata cum officio lugubri, qvo Chorinæus fungitur, nihil commune habet.

§. 12. Satis de ſparſione dixi, qvæ vim expiandi habere, criminumqve maculas expurgare olim credebatur; ſeqvitur, ut de ritu croci ſpargendi tradam, qvi in theatris & proſceniis Romanorum receptus erat. Plinius narrat, crocum antiqvitus in theatra fuiſſe ſparſum. Hoc enim indicant ejus verba: *Crocum vino mire congruit, præcipue dulci, tritum ad theatra replenda. H. N. Lib. XXI. c. 6.* Croco enim trito vinum inprimis dulce diluebant, eoqve theatra perfundebant, ut gratus ſvavisqve

 odor

odor aſtantibus & ſpectantibus afflaretur. Auctor Epigrammatis, qvod extat, veteris, hanc croci ſparſionem appoſite per *rubrum nimbum* circumſcripſit. Prætereo, qvæ in hanc ſententiam Lucretius, Propertius, Statius verſibus mandarunt. Mihi auctoritas Plinii ſufficit, cum qvo jungendus eſt Seneca *lib. II. Qvæſt. nat.* & Apulejus *lib. IX.* Illud ſingulare eſt, qvod affirmat Tranqvillus, Neroni Romam redeunti, *cum victimas pasſim cæſas, tum crocum per vias identidem ſparſum*, in Nerone cap. XXV. In *Glosſis* Philoxeni *κρόκος ὁ ῥαινόμενος* eſt ſparſio ſcilicet non qvævis, aut miſſilium, ſed croci, qvæ & *κροκόρανσις* nominatur, *Joſeph. Scaliger in Caſtigat. in lib. IV. Propertii.*

§. 13. Nec ſibi temperarunt veteres, qvin fores, limina & poſtes privatos floribus coronarent, qvod honori & lætitiæ publicæ datum eſt, feſtis præcipue diebus, qvibus ludos facere, & domos veſtesqve ad nitorem comparare ſolebant. Non utar nunc teſtimoniis Senecæ & Plinii, qvi id priſcis curæ fuiſſe confirmant, ſed in partes vocabo *Tibullum, Juvenalem & Clau-*

Claudianum; illum l.I.el.2.iſtum ſat. VI.& XII. hunc de Magn. Ep. 14. qvibus non pigebit addere Statium ſilv. 1. Sed amantes qvoqve operam dabant, ut amicarum fores olea lauroqve redimiri vellent. In hanc ſententiam legendus eſt *Plutarchus in Erotico, qvi hunc morem amantium gnaviter deſcripſit.* Idem illud inter nuptiarum ſolennia uſu probatum eſt, cum poſtes myrto condecorarent, haud dubie ideo, qvod myrtum Veneri putarent ſacram. *Plin. H. N. lib. XII. c. 1.* Hinc enim Venus Myrtea dicta eſt, qvæ & alio nomine Murtia, itemqve Cluacina, a verbo, qvod expurgandi notionem habet, appellatur, *lib. xv. c. 29.* Mendum Gyraldi eſt, *cluere* per *pugnare* exponentis, ubi ſcriptum oportuit *purgare*, qvod Plinii auctoritate firmatur.

§. 14. Laurus inſuper ad ornandas domos comparata fuit, ſigillatim ædibus triumphantium affixa, memoriam triumphi nobilitavit. Plinius ſcribit: *laurus triumphis proprie dicatur, vel gratisſima domibus janitrix Cæſarum Pontificumqve: qvæ ſola & domos exornat, & ante*

 limi-

limina excubat lib. xv. c. 30. Conf. Plutarchus in Paulo Æmilio. Nec domiciliis modo, ſed etiam templis decus attulit, atqve in fanum Jovis Capitolini deducta, hujuſqve gremio repoſita, lætitiam publicam oſtendit. *Plinius c. l. Julius Obſeqvens* tradit, lauream victricem, qvam Antonius ab hoſte Catilina victo retulerat, in Capitolio debuiſſe deponi, *libro de prodigiis in Cicerone & Antonio COSS.* Ex his intelligi & exponi poteſt locus Dionis Caſſii, ἐς τὰ τȣ̃ Διὸς γόνατα κατέθετο. Lib. LIV. Non ſecus hoc indicavit *Tranqvillus in Nerone cap. XIII. laurea in Capitolium lata. Item in Domitiano cap. VI.*

§. 15. Qvin & Apollinis ſimulacrum fronde lauri redimitum eſt, qvod mirari deſinent, qvi animo reputabunt, laurum Apollini fuiſſe ſacram. Proinde vates lauro decoratos eſſe accepimus, qvia in ea divina vis ineſſe credebatur. *Vid. Scholiaſtes Heſiodi & Ariſtophanis*, qvi non inſcite hoc declarant. Hæc ſane cauſa fuit, qvamobrem perobſcurus Poëta Lycophron poëtas δαφνηφάγȣς appellarit. Neqve eam ful-

fulmine tangi veteres perſvaſi ſunt,& Imperatores hoc velut ſcuto adverſus fulmina ſe muniverunt. *Tranqvillus in Tiberio cap. LXIX.* Sed res hæc pervulgata eſt; tantum de Baccho addere libet, eum corona laurea tectum ornatumqve conſpici, qvod non ignoravit *Tertullianus,in libro paulo ante laudato de corona militis, ubi Liberum principem coronæ laureæ a vulgo agnoſci, non ſine rubore Qviritium non Chriſtianorum,recenſet. Idem laureatas literas nominat, qvæ ab Imperatoribus, re bene geſta, lauro revinctæ mittebantur.*

§. 16. Parum abfuit, qvin omitterem flores, qvos inter pocula & dapes adhibitos fuiſſe conſtat. Non enim committebant Veteres, ut ſine voluptate, ad qvam corollas ex floribus factas pertinere judicabant, convivia inſtituerent & celebrarent. Valetudinis etiam qvodammodo intereſſe putabant, ſi floribus capiti impoſitis vapores, qvi capita potantium infeſtant, prohibere, & adverſus vini vim ſe præmunire poſſent. Qvin & inter ſerta coronaſqve ex floribus

nexas,

nexas, nihil non bene ſibi eventurum divinabant, floresqve adeo Diis æqve ac hominibus in deliciis eſſe, illorumqve inprimis gratiam conciliare exiſtimabant. Nec ſolum capita conviyarum, ſed & ipſa qvoqve pocula vinctis floribus exornata ſunt; flores autem ſparſi menſis elegantiam perinde ac hoſpitibus delectationem attulerunt. Pleni ſunt exemplorum libri, qvibus colligendis alii induſtriam occuparunt. Non tamen pœnitendæ operæ ſit, inſpicere *Athenæum Deipnos. lib. xv.* Poetarum Græcorum juxta ac Latinorum teſtimoniis ſuperſedeo, qvorum magna copia eſt apud *Juſtum Lipſium, & Carolum Paſchalem, qvi omnium manibus teruntur.*

§. 17. Non tamen nunc præterire poſſum, qvod de apio dicere operæ pretium puto, qvoniam id non pauci a conviviis ſubmovendum arbitrantur. Nam epulis defunctorum cauſa celebratis adhibitum eſt, qvod Plinii auctoritate tueamur, *H. N. lib. xx. cap. 11.* Illud tamen non prohibet, qvominus nectendis convivarum coronis tributum fuerit; qvandoqvidem

in

in antiqvis Græciæ certaminibus coronæ ex apio victoribus tribui conſveverunt. Teſtis eſt Pindarus, in Iſthmicis & Nemeæis ludis talem apii fuiſſe uſum. Æneas qvoqve in Italiam delatus, menſam in terra apio conſtrata ſtruxit atqve collocavit. *lib. 1. Antiq. Romanor.* Similiter atqve Horatius in celebrando Mecœnatis natali apium ad coronas aſſumptum fuiſſe, confirmat. *Carm. IV. Od. 11.*

§. 18. Ceterum coronas, e floribus plexas, mortuis impoſitas fuiſſe tradunt, & uno ore teſtantur *Xenophon in VI. de exped. Cyri, Euripidis commentator in Phœniſſis, Lucianus in dialogo de luctu*; *ex patribus Juſtinus Martyr Apol. II. Clemens Alexandrinus pædag. lib. II. c. 8.* Tumulos præterea floribus conſperſos indicant *Sophocles in Electra*, *Plutarchus in Numa*, *Tranqvilli in Nerone cap.* LIII. Frondes. enim & flores ad ſepulchra ferebant, floresqve in funere ſpargebant, qvem morem veteres Chriſtiani ætate Prudentii non improbarunt, & aliqvandiu retinuerunt, etſi primis rei Chriſtianæ ſeculis non modo non ſepulchris

adhibebant coronas, ſed qvoqve juſto in *paganorum* ritus odio averſabantur, ut ex Tertulliano, & Minutio Felice conſtat, qvippe qvi in coronas & ſerta, tanqvam inania & impia dantium munera, invehuntur.

§. 19. Illud adhuc ediſſerendum eſt, qvod de *hyacintho literis inſcripta* non exiſtimo eſſe prætereundum, cujus uſus fuit in tumulis omni florum genere ornandis. Tanto minus omittendum duco, qvod hyacinthus literis inſcripta veterum, & præcipue Poëtarum monumentis celebratur. Qvæ a Theocrito cognominata eſt Dorico loqvendi modo γραπτὰ, id eſt, inſcripta, unde expresſit more ſuo *Vergilius*, qvi hyacinthos nominavit flores inſcriptos, ſive certis literis inſignitos, qvorum figura, AI, pingitur ac notatur. Qvæ nota eſt Ajacis, fortisſimi Græcorum Ducis, ſive Regis, ex cujus cruore flos Hyacinthi natus in Græciæ fabulis perhibetur. Alii tamen ex pueri, qvem Apollo dilexerat, ſangvine ortum fingunt, apud *Plinium lib. xxi. cap. 11.* & Lucianum in *dialogo Deor.* Hanc hyacinthum poetæ monu-

numentis commendarunt *Theocritus aliqvot in locis, Euphorion, poſt eosqve Virgilius & Ovidius. Conf. Pauſanias in Corinthiacis.*

§. 20. Dum intra certos circunſcriptosqve terminos diſſertationem conſtituo, tum finem illi ramus oleæ afferre debet: qvi cum alias ſignum pacis habeatur, tum hoc loco etiam ad ritum lugubrem, funebreſqve adeo coronas refertur, non recentiori exemplo, ſed uſu veterum, qvod auctoritas Artemidori firmat. Is enim tradit, cum mortuis oleas ſimul efferri, eamqve ob cauſam hac arbore mortem portendi ægrotantibus putat. Contra ac de lauro affirmat, qvam in morbis ſalutarem vocat. Verba Ὀνειροκρίτου ſeqvuntur. Τοῖς ἀποθανοῦσιν ἐλαίας συνεκφέρουσι. Romæ tamen aliqvid prodigii ſimile habuit, cum laurus, qvam ſua qviſqve manu poſuiſſet, floreret tantiſper, dum ex auguſta gente viveret is, qvi eam ſeruiſſet. *Plinius lib. XV. cap. 30. H. N.* Svetonius congruit, idemqve refert. *Obſervatum eſt ſub cujusqve obitum, arborem* (laurum) *ab ipſo inſtitutam, elanguiſ-*

guiſſe. Qvi a Plinio lucem accipit, ſcribente, aruſpices juſiſſe (qvod omiſit Tranqvillus) ut ramus lauri, qvem albi coloris gallina, ab aqvila e ſublimi demiſſa, atqve in gremium Liviæ Druſillæ delapſa, viridem fœcundumqve, & baccis præditum, attulit ſecum & tenuit, ſereretur apte & ſervaretur. Neqve enim id Livia major, cui lætum nubendi omen ille ipſe caſus attulit, hoc fieri juſſit & voluit, qvod ex Svetonio qvis conjicere forſan, vel ſuſpicari poſſet, ſed aruſpices, qvorum hoc munus fuit, pronunciarunt æqve ac præceperunt. *in Galba cap. 1.* Mihi demum pietas legem præſcribit, & vota exprimit, ut laurea AUGUSTO LEOPOLDO parta, majori niſu adverſus fulmina & hoſtium injurias ſurgat, nec minori fœcunditate ſe diffundat inpoſterum & vireat, nulloqve temporum vitio impedita aut læſa elangueſcat, nunqvam deniqve pereat, vel intermoriatur. Hoc opto, & hoc repetitis a Deo votis contendo, ut inter gaudia & gratulationes publicas, fidei amantes & ſocii Principes Populiqve *juſto victori* roſas ſemper ac violas auſpicato feliciterqve ſpargant.

2 ... 15

95 55 213

MC